

AUGUSTINI CALMETI IN LIBRUM SECUNDUM ESDRÆ Prolegomenon.

Nehemias, cognomento *Athersatha*, vide 1 Esdr. 2, 65; 2 Esdr. 7, 65, nempe *Pincerna*, à munere quod apud Artaxerxem Longimanum regem Persidis obilat; Nehemias, inquam, verus hujus operis auctor vulgò esse reputatur. E familia Levi, et ex ordine sacerdotali originem ducentes, uti quidam sentiunt, nempe Malv., Est., Tirin., Menoc., sive è tribu Judà, ut putant alii, Euseb. Isidor. Genebr. in Chronic. Rab. Arab. in Cabbalà, Scaliger. ad Euseb. Chronic., patrem habuit Helechiam sive Chelchiam. Qui è genere sacerdotali virum arcessit, laudant in eam rem illud 2 Mach. 1, 18, 21: *Jussit sacerdos Nehemias aspergi sacrificia aqua: ac illud: Edificato templo et altari obtulit sacrificia.* Insuper hoc libro 10, 1: *Signatorum autem fuerunt; Nehemias, Sedecias, Saraïas, etc. Vers. 8: Hi sacerdotes.*

Eo tamen Machabæorum testimonio nequidquam obstante, ea que virum ad tribum Juda revocat opinio, tum apud veteres fermè omnes, tum apud perosque recentiores obtinuit. Persuasum enim habebant veteres, eos omnes, qui populo è captivitate restituito jura dederunt usque ad Asmonæos, ad tribum Juda spectasse. Nehemias ipse *Hanani* et alios è tribu Juda, Judæam repetentes, fratres suos appellat: *Venit Hanani unus de fratribus meis, ipse, et viri ex Judà.* Denique *pincernæ* munus, quod illustre erat è ætate, uniusque viris clari generis demandabatur, non nisi virum principem è tribu Judà decebat. Tandem Nehemias ne in templum ingrederetur se continuit, quasi sci-

In tertio Esdræ 9, disertissimè exprimitur: *Omnes isti conjunxerunt sibi uxores alienigenas, et dimiserunt eas cum filiis.* Textus Hebræus reddi etiam potest: *Fuerunt ex eis mulieres que exposuerant filios suos.* Sed plerique sensum retinent *Vulgatæ* et *Septuaginta.* Clericus: *Plures ex his viri filios ex his mulieribus genuerunt.* (Calmet.)

ET EX HIS UXORIBUS ALIENIGENIS FUERUNT NON PAUCÆ MULIERES, QUÆ JAM PEPPERANT MARIIS FILIOS. Sed et hæ nihilominus ejectæ sunt è toro maritali, et filii seorsim quoque positi.

licet sese non initiatum ingredi nefas esse reputaret: *Et quis ut ego ingredietur templum et vivet? Non ingrediar,* 2 Esdr. 6, 11.

Auctoritati autem ex Machabæis adductæ reponunt, 1^o Nehemiam à sacrificiis per se offerendis abstinuisse, jussisse tantum, veluti totius gentis principem, à sacerdotibus offerri: familiari enim sermone usurpamus, ut quæ per alios, auctoribus nobis, gesta sunt, eadem à nobis facta habeantur. 2^o Textus Græcus sacerdotalem viri dignitatem non legit, habet enim: *Jussit sacerdotes Nehemias aspergere aqua* (crassa scilicet, è puteo, ubi olim ignem habiderant, hausta) *ipsa (sacrificia) et ligna, etc.*; quo aperto satis documento intelligimus, non sacerdotalem seu leviticam dignitatem egisse illum, sed universo populo præfectum, huic rei præfuisse. 3^o Si nomen suum in adscriptionibus primum ante sacerdotes et Levitas posuit, illud in causâ fuit, quod summum in republicâ, locum, veluti regis Persarum nomine regionem administranti, sibi deberi arbitrabatur. 4^o Denim viri nomen nusquam in censu sacerdotum sive apud Esdræ, sive apud Paralipomena legitur.

Cùm Nehemias afflictas esse prostratasque res Hierosolymæ, Babylone agens, didicisset; monitus insuper, mœnibus dejectis, crematisque portis, Judæos in summo lactu et gentium omnium opprobrio versari; effusus in preces, corpusque jejuno macerans, tempus opperiebatur, quo et munus snum obiturus, et regi pro urbe suâ supplicaturus accederet, 2 Esdr. 1, 1, et seq. Conanti igitur regi ille munus snum fungens adfuit; cùmque tristior consensu videretur, 2 Esdr. 2, 1, etc., rex vix illum intuitus, turbidum aliqui illum moliri suspicatus est; ut verò intellexit, patriæ illum suæ vices dolere, copiam fecit ut in Judæam reverteretur, eâ tamen conditione, ut intra præscriptum tempus rediret; quod benevolentia in illum regiæ certissimum erat argumentum. Scriptæ insuper pro Nehemiâ regiæ epistola

ad præfectos provinciarum trans Euphratem, quibus ligna omnia præberi Nehemiâ jubebantur, quotquot opus esset in usum templi, mœnium, et ædium præfecti regionis.

Venit itaque Nehemias Hierosolymam, 2 Esdr. 2, 11, 12, etc., totoque triduo consilium suum suppressit. Nocte tertiæ diei totam urbem circumivit, mœnia lustrans, ut eorum statum penitus exploratum haberet. Tum optimatibus ad concionem vocatis, auctoritatem suam et adventus consilium aperuit, hortatus ut mœnium portarumque Hierosolymæ restaurationem aggredierentur. Omnium assensu ac favore exceptâ Nehemiâ concione, statim operi manus admotæ est. Eâ re intellectâ, gentis adversarii, qui tenebantur in Judæos invidiâ, cum opus inhibere, regis fussionibus prohibiti, non possent, ad irrationes versi, 2 Esdr. 3, 19, 20, et 4, 1, 2, illud invicem dicitabant: *Quid Judæi strue hæ cœmenti et lapidum moluntur? Si vulpes suffodere mœros incipiant, profectò mœnem omnem dejicient? Cum verò reparata mœnia, stantemque urbem viderunt, verso consilio, omni operâ sibi annitendum censerunt, ut Nehemiam perderent. Frustrâ tamen; insidiis enim Nehemiæ revelatis, 2 Esdr. 4, 7, etc., ipse armari suos, ac militari ordine adversarios opperiri jussit. Illi, cum se proditos intellexissent, abjecto consilio destiterunt. Exinde Nehemias civium suorum partem semper sub armis tenuit, dum ceteri urgendo operi incumbebant; jussit etiam populum ita reparationi vacare, ut simul suis armis instructus semper præstò esset ad prælium, 2 Esdr. 4, 16, etc.*

Minimè tamen Sanaballat ceterique gentis hostes animis despondentes, insidias struere Nehemiâ moliti sunt. Fictio igitur fœderis inveniendi consilio, virum invitârunt, ut secum in agrum conveniret, quibus tamen ille respondendum imperavit, 2 Esdr. 6, 1, etc., presentiam suam opus exigere, nec aliò divertere interim posse; quod non semel, et iterùm, sed quartò respondit, viros à Sanaballat missos similis semper responso vacuos remittens.

Denique Sanaballat ejusque clientes datis ad Nehemiam litteris significârunt, sparsò in populum rumore vulgatum esse, illum res suas adversis regem moliri, eoque consilio mœnia urbis reparare; prophetas sibi amicos illum fingere, qui populum ad eligendum se gentis regem excitarent; proinde, ut invidiam in se conceptam amoliretur, simul secum op-

portuniora consilia suscepturus conveniret, Esdr. 6, 6, 7. Nihil his commotus Nehemias respondit, mera esse et ad arbitrium exrogata commenta. Consulendum tamen censuit Semiam, quem prophetam esse reputabat: quo hortante ut in templum sese reciperet, futurum enim ut proximâ nocte in illius eadem armati hostes clam venirent, renuit Nehemias, statimque didicit, illum adversariorum arte corruptum ficta oracula venditasse. Plures etiam ex optimatibus Hierosolymæ, juncto cum hostibus consilio, secretò in ejus necem conspiraverant, 2 Esdr. 6, 7, 17, 18. Nihil tamen deterrere Nehemiam ab opere incerto valuit; brevique ejus potissimum operâ intra duorum et quinquaginta dierum spatium tota moles stetit, 2 Esdr. 6, 15.

Habita deinde est absolutorum mœnium dedicatio, eo apparatu, qui tantum opus decebat, 2 Esdr. 12. Divisi igitur in duos choros sacerdotes, Levitæ, principes, ac vulgus, ambo seorsum super mœnia incedebant, alteri meridionale latus, alteri septentrionale mœnium tenentes, omnibus interim prestrepentibus tum musicis vocibus, tum instrumentorum concentu, donec templum ingrederentur, quò duo simul chori coeverunt. Habita ibi lectio Mosaicæ legis, oblata sacrificia, nullaque ommissa ingentis gaudii significatio. Cùm verò in idem tempus incidisset festum Tabernaculorum, geminata solemnitas gaudium cumulavit, 2 Esdr. 8.

Amplior erat restituta urbis ambitus, quam rarus incolarum numerus exigeret; quare, ut huic rei consulere, imperavit Nehemias, singuli optimates ades suas Hierosolymis concederent, et declinam totius populi portionein, jactu sortium electam, eo migrare coegit. Hæc arte tum ex his quibus sortitò urbs obtigit, tum ex his qui spontè venerant, satis frequens civium numerus comparatus est, 2 Esdr. 11. Militum excubias ad portas urbis distribuit Nehemias, ne quid ab hostibus, excidium novæ urbis molientibus, pateretur, 2 Esdr. 7, 1, 2, etc. Quâ cautione satis ab externorum injuriis tutus, curas suas omnes auferendis, que irrepserant in populum, criminibus vertit.

In eo maxime omnium laboravit, quod gravissimum videbatur; severità nempe, quâ divites in teniores furebant, eò enim crudelitatis processerant, ut eorum filios et filias mancipiorum jure servitilis suis adicerent, omnesque illorum res obliguerent, 2 Esdr. 3, 4, etc. Tot miserorum clamoribus excitatus

Nehemias, in frequenti optimatum et magistratum cœtu eorum sevitiâ pluribus detestatus est: Cùm enim nos, inquit, fratres sororesque nostras à captivitate redemptas in hanc regionem redaxerimus, vos iterùm excussisse captivitatibus jugo opprimitis. An iterùm nos redimere captivos cogitis? Ego meique plura mutuò dedimus: jus nostrum omne remittimus: remittatis et vos suadeo; quæque oppignerata servatis, ultrò restituite. Dicentem pronis auribus exceperunt Israelitæ, aere alieno statim remisso, manumissis Hebræorum mancipiis, restitutis, quos loco pignoris tenerant, fundis.

Alterum supererat perniciosum maximè et vetus in populo vitium, quod Esdras delere laboraverat; connubia nempe Israelitarum cum feminis peregrinis. Prospero illud eventu delevit Nehemias, quo suadente, omnes præcepto legis morem gesturi, peregrinas uxores, unâ cum filiis eo connubio genitis, dimiserunt, 2 Esdr. 9, 1, 2. Verùm cùm abesse deinde urbe, ac Babylonem proficisci duodecimo anno præfecturæ suæ cogeret, 2 Esdr. 5, 14, 13, 26, etc., non defuerunt, qui per ejus absentiam pristinas uxores revocarent; quin et Joiada ipse, filius Eliasibi summi sacerdotis, filium suum connubio cum filiâ Sanaballat Moabitide junxit. Eam rem iniquissimè ferens Nehemias, studio legis armatus, illum urbe expulit, omnemque suppellectilem Tobîæ, in domo Domini commorantis, ejici jussit è templo, cæterosque deinde Israelitas coegit reductis iterùm feminis filiisque repudium dare.

Cùm pristina sacerdotibus et Levitis stipendia desissent, atque adjunctas templo sedes, sibi destinatas, à Tobîa occupari cernerent, deserto templi servitio, aliò diverterant, 2 Esdr. 13, 10, 11, etc. Nehemias jussu omnia suo loco restituta sunt, coactus populus stipendia ministris Domini præbere, ministri ad pristina munia revocati. Præscriptæ sacerdotum vicibus et temporibus illorum ministerii regulæ, ex constitutis olim à Davide et Salomone sanctionibus; reddita sabbato sua religio, hæc nō Hierosolymis neglecta, clausisque portis prohibiti peregrini, ne quid vendere eâ die auderent.

Ut autem rectissimus urbis ordo perpetuus fieret, inducta que in Israellem morum disciplina ditatib⁹ servaretur, renovatum solemnī ritu inter Deum et populum fœdus, juratis pollutibus fidem Nehemiâ, sacerdotibus, cæteris-

que optimatibus. Sancitum est, ut jussionibus Domini morigeros se Israelitæ præstarent, legem Mosaicam sanctè custodirent, connubia cum peregrinis feminis ne conciliarent, neve quid venderent, emerentive die sabbati; septimo quoque anno terra ferietaretur; singulis annis tertia sicii pars pro sartis tectis templi Domini penderetur; ligna in usum sacrificiorum conferrentur, primitiæ fructuum offerrentur, pretium solveretur primoribus natu redimendis, etc. Hæc statim post mœnium ædificationem gesta sunt, 2 Esdr. 9 et 10. Hactenus secundus liber Esdræ de rebus Nehemiæ.

Nonnulla etiam de Nehemiâ in libris Machabæorum occurrunt, 2 Mach. 1, 19, 20. Legimus enim ibi, Nehemiam misisse quæsitum sacrum ignem, quem sacerdotes in arenâ et profundo puteo occultaverant; inventique pro igne aquâ lutulentâ, altare aspersisse, quæ aqua ut radiis solis intepuit, excitatum statim divino prodigio ignem victimas in altari emâsse. Eâ de re monitum regem Persidis, prodigio attonitum, plura Israelitis concessisse, ibid. vers. 54, 55, auctis sacerdotum urbis proventibus, ejusque sanctione loco, ubi ignis delituerat, mœnibus clauso.

Tandem Nehemias, ut de posteris suis omnibus optimè mereret, bibliothecam instruxit, 2 Mach. 2, 13, omnibus, quot unquam reperiri potuerunt, libris Prophetarum, Davidis, et principum, qui munera templo obtulerant, refertam. Tandem felici senectute diem clausit extremum Hierosolymis, administratâ triginta circiter annorum spatia republicâ.

Ut autem ad librum Nehemiæ regrediamur, communi licet sententiâ genuinum ejusdem auctoris opus, cujus nomen in primi capitis fronte præ se fert, habeatur, cùm præsertim in primâ personâ veluti de se auctor loquatur; plura tamen, neque contemnenda, rationum momenta in dubium revocant, num liber, saltem qualis nunc exstat, à Nehemiâ exaratus sit: nullus enim dubio locus esse videtur, quin ipsâ re liber opus Nehemiæ, sit, vel saltem ex relictis ab eo commentariis alterius labore derivatum. 1° Enim observant, in textu Hebræo unâ serie cum præcedenti libro olim conjunctum fuisse; quasi scilicet ad unum eundemque auctorem uterque pertineat. Ita Hieron. Prefat. in Esdr. et alii passim.

2° Commentarii Nehemiæ in Machabæis laudantur (1); recitataque ibi verba in libris (1) 2 Machab. 2, 15: *Inferebantur autem in*

ejusdem nomine inscriptis nuspîam occurrunt; quare alterutrum statuum oportet, vel partem solummodo et epitomen librorum Nehemiæ nostrâ ætate superesse; vel præter eos qui in Machabæis, libros, alium à Nehemiâ exaratum esse, quem nomine *Verborum Nehemiæ* inscripserit. Id autem vix contingere potuisse censemus, ut scilicet duos de eodem argumento libros Nehemias scripserit.

3° Liber Nehemiæ, qualis nunc exstat, plura continet à Nehemiâ planè aliena. Recitat monumenta sive commentarios, in quibus nomina referebantur sacerdotum et Levitarum, ad ætatem Jonathani nepotis Eliasibi, quin et Jeddæ vel Jaddi summi sacerdotis, regisque Darii Condomani pertinentium, 2 Esdr. 12, 23; qui ambo, utpote ad ætatem Alexandri Magni spectantes, amplius 120 annis Nehemiæ in Judæam adventu recentiores sunt. Igitur ejus capitis auctor Nehemias non est. Præterea quorsum ejusemodi commentarii recitandi erant? An ut constaret fides rebus eâ ætate exploratissimis? Hujus generis testimonia tum exigunt, cùm res supra fidem vel incognitas narrande sunt, vel saltem cùm de rebus agitur à scriptoris ætate remotissimis.

4° Agit ibidem auctor de Nehemiâ quasi de alieno, et longâ jam ætate fati functo: *Hi in diebus Jousim filii Josue, et in diebus Nehemiæ ducis, et Esdræ sacerdotis scribæque, 2 Esdr. 12, 26.* descriptionibus et commentariis Nehemiæ hæc esdem.

3° In narrationis serie multa extra sedem vagantur. Ita dedicatio mœnium extra locum aberrat, ibid. v. 27; aberrat caput quintum, in quo Nehemias de rebus gestis anno duodecimo regiminis sui disserit, 2 Esdr. 5, 14, quanquam ea que præcedunt ac sequuntur caput 4 et 6, ultra quinquagesimum ab adventu diem non feruntur. Quare illud statuum est, siquidem Nehemiam operis auctorem esse arbitremur, saltem versus 22, 23, 24, 25, 26, imò omnes viginti sex versiculos capituli duodecimi alienâ manu in textum irrepisse; vide Capel. Chronol. Sacr.; sive potius Nehemiam accuratas regiminis sui ephemerides reliquisse, ad ætatem usque Machabæorum servatas; ex quibus monumentis hic liber, ipsis Nehemiæ phrasibus servatis, quanquam non rerum serie nec tempore; pluribus etiam omissis, derivatus erit. Hanc sententiam maximè omnium probamus. Hujus libri scriptorem Esdram reputandum esse Genebrardus putavit; qui sanè Esdras debuit diutissimè vitam prorogare, ut hunc literis mandaret. Adde, inter utrumque librum, Esdræ et Nehemiæ, adèe multo in censibus earumdem familiarum recitandis variare, ut neque eadem utrinque succurrere veterum monumenta appareat.

Nehemiæ liber historiam continet triginta circiter annorum, à primo ejus viri in Judæam adventu anno 3550, usque ad annum 3580, emortualem ipsius.

IN LIBRUM NEHEMIÆ, QUI ET ESDRÆ SECUNDUS DICITUR. COMMENTARIUM.

Hic liber à Nehemiâ nomen accepit, quod ex commentariis ab ipso compositis, fermè verbo ad verbum exscriptus fuerit. Nehemiæ profectioem evenisse postquam ascendit Zorobabel anno 82, et postquam Esdras ascendit, anno 13, patet ex annotatis ad marginem libri, cùm hujus, tùm superioris. Vidit hic Esdras, eique superstes fuit. Esdras secundus dictus liber, qui olim à priori non discriminabatur, ut testis est Hieronymus. Continet autem instauratorem Jerosolymorum, correctionem reducis populi, et labentis Dei cultus renovationem. Historia est annorum circiter 31, ab anno scilicet Artaxerxis Longimani 20, qui est mundi 3550, ad regnum jam inchoatum Darii Notii, ejus filii, qui anno mundi 3581 auspiciatus est.